34.6.E.5.

204 24

INTEMPESTIVÆ NIVIS SPECTACVLVM.

Oratio habita Nonis Augusti in Basilica Vaticana.

AD

EMIN.VM ARCHIP.VM

ET ILLVSTRISS. CANONICOS

EIVSDEM BASILICÆ

A Io: Dominico Bartoluccio Rom. Seminarij Vaticani Clerico.




Com.°  Fran.°

ROMAE, Typis Bernardini Tani, MDCXXXIX. *Superiorum permissu*.

Digitized by Google

EMIN^{mo} ARCHIPRESBYTERO & Illustrissimis Canonicis Basilicæ Vaticanæ.

IOANNES DOMINICVS BARTOLVCCIVS F.





Eminarium hoc Vaticanum (Princeps Eminentissime, & Illustriss. DD.) liberalitate vestra nuper excitatum, & eadem quotidie alitum, Vobis Auctoribus, Dominis, ac Patronis suis, hoc qualecunque sit, INTEMPESTIVAE NIVIS celebratum SPECTACVLVM, tanquam studiorum Primitias offert, dicat, sa-

Digitized by Google

erat: cui si iugiter hæc vestræ Benignitatis Aura spirabit, sperabit vtique, se maiora editurum in dies. Verùm quam accepistis orationem, potiùs à spectatore admirabundo, quàm à diserto oratore peroratam accepistis. Ecquis esset verborum parcus, vbi, tàm liberalis in terras est cæli profusio? Quis incultè, ac simpliciter dicere perhorresceret, vbi vel ipsa nouitas facti, vel innata Niuis pulchritudo nullius aduentitij indiga pigméti orat per se. Interim orationem hanc gratitudinis, in vos, & obseruantiæ candidum argumentum, vt à non fucatis animis proficiscitur, ità humanitate illa excipite, qua beastis eandem, dum audiretis; excipite quod vestrum est beneficium, & Valete.

Laben-





Abentis è Cælo Niuis nocturna miracula (Eminentiſſime Princeps, & Illuſtriſsimi DD.) infantem Oratorem ad dicendum euocarunt, qui in iſto conſeſſu nè tria quidem verba auderet proferre, niſi Niuis huiuſce candor ingenuus, vt nullum fucum, nullum aduentitium decorem admittit, me ſimpliciter, & ruſticanè ad perorandam animaret tanti dignitatem ſpectaculi. Per vos igitur liceat mihi impræſentiarum teneræ vocis oſſicio venerari, quod omnium ſingulari depluit beneficio: vbi quo mea non fulgebit ſplendore, eum à Niue mutuabitur oratio, fortaſſe placitura magis facti nouitate recenſita, quàm vllo verborum adhibito delectu.

Non patiebatur amantiſſimus hominum Deus, Vrbem hanc totius & Orbis & Eccleſiæ caput dulciſſimæ Genitricis ſuæ maiori, ac peculiari patrocinio non communiri: Montis proinde partem in Exquilijs ad excitandum eidem templum noctù ardentiſſimo æſtatis calore conſperſit Niue, vt tantæ Vir-

 ginis,

ginis, & illustrioribus, & frequentioribus exornaretur beneficijs; & sic ab Exquilino exulāti mortalitati suppeterent leuamenta, vti à Vaticano æternæ vitæ oracula reddebantur; Circumscripsit itaque aream, sed suam hominis iuuandi voluntatem non coarctauit. Breuis fuit ambitus agri, sed immensa diuinæ bonitatis apparuere confinia.

Nocte autem, & æstiuo tempore Nix intempestiua delabitur, & delabitur illæsa; nimirùm nequit tellus cæli reluctari decretis: delabitur Mariæ indicatiua Virtutum; sola enim Maria inter noxarum tenebras miserationis diem nouit serenare, sola Maria vehementissimos peccatorum valet temperare calores. Non potest culparum feruor diuinæ gratiæ rorem eliquare, quæ, vt nouit conglaciata vitijs pectora calefacere, nouit itidem animæ adustiora viscera leni refrigeratione solari. An non videtis, vt febricitanti mundo præstò sunt leuamenta caloris, ardoris temperamenta? Ea vbera virginis, quæ adulta hieme, nocte intempesta nato Deo lac exhibuere, eadem hanc cælestium charismatum inundationem in pereuntem vniuersitatem iam deriuare non dedignantur.

Nix ista decidit in montes, quia sanctissima Virgo non in abiectis impurorum animis, sed in generosis candidorum pectoribus suum habet hospitiū; quia virginitatis cultores, & publicos conspectus, & platearum debent euitare frequentiam. Mons ille

vanæ

vanæ olim superstitionis domicilium, nunc efficitur veræ religionis habitaculum; nouæ gratiæ diuersorium; summæ officina pietatis, Asylum miserorum mortalium, & portus suspiratæ salutis.

Felicior igitur exquilinus mons Niuis huius locupletatus thesauris, Tarpeio cliuo Orbis totius exuuijs adornato; gloriosior Roma hac Mariæ candidata Niue, quàm tot triumphatorum Regum decorata spectaculis. Ista (Auditores) ista niuis candida pulchritudo mihi me totum rapit; ista (quæso veniam) nunc infantiam orationis meæ ad dicendum piè facit audacem.

Mundo Euangelicis oratoribus indigente, igneis in linguis sol Iustitiæ Deus pluuius apparuit, & lucis, & ignis corriuare fluenta videbatur. Ecclesia verò in fide iàm adulta fæcundanti cælestium donorum rore irriganda, misericordiæ Mater pulchra, vt luna liberali niuium imbre illabitur, & in niueos flocculos profusa, suis videtur impluere leuamenta. Ni dicas, flocculos illos tot esse gemmas ad exornandam nouam Deiparæ Regiam. Nulla nox profectò nobiliori gemmauit baccata rore. Quid mirum, si sunt gemmea Tyrocinia Mariæ? Vel dicas, cæli tot linguas esse, quæ mortales omnes ad pium excitent Mariæ obsequium, vti Magos ad Christi adorationem stella illa, tanquam cælorum lingua eloquentissima aduocauit. Ni velimus, tot sydera esse, quæ firmamentum natalem sedem oblita, nouumque

signum

ſignum comitata ſemetipſis terram inſigniant, eamque ſtelligeram, cælique æmulam faciant. Alieno lumine non eget hæc, tanto Niuis illuminata candore. Feliciſſima Nox, omnium ideò tranquilliſſima, quod Nix iſta te quauis die glorioſius illuſtrauit, cùm tuis in tenebris inaudito miraculo prçcelſæ Genitricis Dei cultùs hoc in Monte, hac in Vrbe excitatur, fundatur, propagatur.

Sed quid eſt, quod adlabente cælitus hac Niue totus indormit mundus, niſi quod ſecurus eſt ſomnus, vbi inuigilat Maria? Noctu Nix iſta delabitur, quando mortales diurno ab opere ferantur, nunquid ſeruilia non debent terrarum opera ceſſare, dum cælum operatur? Noctù Nix delabitur iſta, quando omnia graui ſopore obruta conticeſcunt; & verè loquente cælo nouis miraculis debet terra ſilere. Sed quæ (Auditores) edormit cæca mortalitas, ea nimiùm, atque nimiùm vaniſſimis huius mundi ſomnijs inuigilauit.

Verùm Niuis huiuſce dum glorias decanto, neſcio quem è tænarijs clauſtris æſtuoſum ventum ſentio de bacchari. Erumpe infernalis Auſter, erumpe, tuiſque perditiſſimis flatibus tartareos perfla calores, verbera Niues iſtas, vrge, diſſolue, ſi potes: exurge tu quoque ſol tanto Niuium ſpectaculo inuidus, tanto pudibundus candore, torre ignitis radijs, vre, vrge, vt lubet; tuis æſtibus haùd quaquam eliquare poteris, quod non ſydus hibernum, ſed pietas Mariæ læto prodigio coegit.

Niualis

Niualis hæc tempestas non ex illis existimetur aureis diluuijs esse, vt fabulosa cecinit vetustas; Argenteum diluuium ad proseminanda inter mortales semina puritatis. Insudent Argonautæ, vasta Maria percurrant ad velleris Aurei rapinam; nobilius hîc Vellus candicat argenteum, nempè Virginis patrocinium cadente, & candente hac Niue modo nobis diuinitus præmonstratum; cuius, vt inæstimabile pretium, ità adeptio facillima. Vellus hoc Niueum, Vellus est Gedeonis matutino rore repletum ad futuræ significationem victoriæ. At quid aliud portendit hæc Nix nouus cæli partus, nisi in Deiparam obseruantiæ dignitatem? quid ille candor, nisi tantæ Virginis puritatem? quid illa refrigeratio, nisi efficaciam patrocinij Mariæ? Vnde si niue fæcundantur arua, augentur messes, tritici exuberat prouentus; ità Mariæ præsidio vernant flores sanctarum cogitationum; piorum operum multiplicantur fructus, & animæ nouis semper cumulantur donis. Nix est Serenitatis prænuncia, & Mariæ Deuotio euidentissimum salutis est symbolum.

Sed, vt olim (Auditores) apud Romanos candidati accedebant officia, & magistratus petituri; ità nos priscorum more, & animæ, & corporis petituri salutem vno vitæ dealbati candore accedamus ad Virginem: quando beata Virgo beneficia, & gratias elargitura, nunc suos ad Romanos vltrò candidata descendit.

LAVS DEO.

Digitized by Google

Digitized by Google




ROMAE, Ex Typographia Bernardini Tani.

MDCXXXIX.

SVPERIORVM PERMISSV.

Digitized by Google




BIBLIOTECA NAZ.
ROMA
VITTORIO EMANUELE